

Plautina

scripsit Georgius Langrehr.

Cum ante decem fere annos primum, quid de Plauti comoediis sentirem, in specimine „de Plauti Epidico“, quo sodalibus societatis philologae Gottingensis decennalia agentibus gratulabar, *) exposuisse, in universum meam de contaminatione huius fabulae sententiam non prorsus hominibus doctis omnibus potui probare, etsi quae singula exposueram recte ea quidem a me esse disputata et omnibus fere his locis revera graviores a me evictos esse scrupulos concedebant. Cf. imprimis quae Goetzius anno 1878 in praefatione suae Epidici editionis pronuntiavit. Quodsi ipse eiusmodi offendiones ex retractatione ortas esse mavult, non equidem omnino huic sententiae repugno, sed tamen non omnia quae monueram ita posse explicari iterum ac saepius fabulam relegens in dies magis mihi persuasi. En, exstitit novus fabulae defensor anno 1884 Carolus Schredinger, qui programmate Munnerstadiensi Richardi Muelleri a me iam l. c. exagitatam confidentiam amplectens optime omnia se habere professus est. Praeter nota Muelleri remedia eiciendi et coniciendi ad vetera illa Geppertiorum configuit: „prudentis“ actoris sagacitatem effert et „viva voce“ prolata omnia miraculi instar clara et plana evadere sibi ille quidem persuasit. Cf. quae affert p. 8 cum annotatione 7 p. 60 sq. et p. 15 „suo sono“ p. 19 „sua arte“, p. 22 ubi etiam progressum actionis, quem iure desiderari non negat, actoris gestu facit suppleri. Concedit ille quidem ipse argumentum fabulae satis esse implicatum. Sane ita res se habet, praesertim cum ipse egregius defensor p. 5 miro modo de alterius fidicinae Atheniensis et Thebanae captivae personis erraverit. Dicit enim: „servam illam — adhuc in feneratoris ditione versantem — praemercantes tollant“. Sed hoc loco senes de adventicia illa vera Telestide, quae revera in faeneratoris ditione est, omnino nihil sciunt, sed tantum de altera fidicina, quam Epidicus pro vera Acropolistide senibus supponit, agitur atque de hac una agi potest. Atque ab initio ut statim meam de tota hac re exponam sententiam, quas tres offendiones gravissimas l. c. protuleram, minime

*) Miscellanea philologa pp. 9—19, Göttingen 1876.

a Schredingerio mihi videntur esse sublatae. Neque ullo modo de nuptiis adulescentis senisque mihi satisfecit, neque magis de lenonis partibus aut de fidicinae alterius conductione suam mihi probavit sententiam. Concedi illi quidem aliquo modo videtur posse de v. 145*)

Meam domum ne imbitas

cf. Misc. phil. p. 15, Schredinger p. 46, cui rei ne tunc quidem ipse nimium attribueram, neque si id unum tota fabula invenissem, ad contaminationem evincendam eo loco essem usus. Sed cum de contaminatione constare mihi videretur, hoc quoque levius afferre supersedere nolui. Nam quae singula per se non tantum afferunt momentum, coniuncta illa quidem inter se et cum gravioribus aliquid certe necesse est addant ponderis.

Quodsi deinde de exitu fabulae lenius iudicat, hodiernis sane ea quae dicit moribus satis sunt apta, sed apud antiquos prorsus aliter rem se habuisse nemo est qui ignoret. Usuram denique Stratippoclem faeneratori iam antea solvisse Schredingerii demum sagacitate est inventum.

Sed iam videamus deinceps quae ille protulit. Ac primum quidem diversitate patriae militis Euboici aut Rhodii (vv. 153 et 300) utitur ad celebrandam simulationem et malitiam Epidici, quippe qui priore loco „nulla cognitione innixus“, ut maiorem vim suis verbis adderet, patriam de suo confinxerit et denuo „repentino invento“ alteram fingat patriam „jamdudum fortasse oblitus“ prioris fictionis. En praeclarum Epidici defensorem, qui ipse clienti suo „expeditam vanitatem“ tribuat. Evidem quod ad hanc ratiocationem addam, nihil habeo. Quomodo ipse de hac re indicem, l. c. satis expositum est.

Contra nuptiarum Stratippoclis commemorationem nihil aliud spectare quam ut servi eluceat sapientia, qui modo auditis nuptiis statim ansam reppererit decipiendi senis dixit. Sed cum satis hoc uno loco (Schredingerii dumtaxat sententia) Epidici celeritatem ingenii perspexerimus, nimirum in eis quae sequuntur non iam opus est hanc rem ullo modo respici. Porro cum adulescentis erga Acropolistidem amor plane evanuerit, iam ne seni quidem filii nuptiis opus est. Credo, sed audiamus ipsum Epidicum, certiorem certo animi Stratippoclis interpretem. Et is quidem v. 653 ipsi adulescenti dicit:

Tibi quidem quod ames domi praesto fidicina est opera mea.

Servus igitur cum Schredingerio non consentire videtur. Filium vero quod p. 11 has nuptias nimis neglegere dixi, Schredingerius versibus 362/3 acquiescit:

Uno persuadebit modo, si illam quae adductast mecum

Mi adempsit Orcus.

Confirmat his versibus adulescens se patris imperio non esse obtemperaturum. Sed quonam modo se contra eius auctoritatem sit defensurus, nostro iure hoc loco quaerimus. Quod ut posset efficere, certe patris consilium ei erat investigandum.

*) Schredingerii causa moneo, qui mihi ascribere videtur numeros prioris commentationis, summo cum gaudio relicta editione Geppertiana me et editionem et numeros iam sequi Goetzii, quod quidem anno 1876 nondum poteram.

Deinde Periphanis nuptiae eodem modo iterum explicantur. Alteram iam invenimus ansam, qua Epidicus utatur. Lepidum sane servum, cui duabus ansis et eis quidem eiusdem modi opus fuerit, ut consilium possit capere. Certe una poterat acquiescere modestissimus ille fabulae defensor. Quae praeterea in commemorandis duabus his nuptiis me offenderunt, silentio praetereuntur.

Tum lenonis auxilio nihil opus esse iudicatur, cum de minarum numero Epidicus certius quidquam coram senibus non dixerit. Sed tum ratio apud herum ei erat reddenda et tantum, quanto minus lenoni solverat, restituendum. Neque vero intellego, cur homo doctus hoc loco tanto opere in hac re auxilium lenonis recuset, cum tamen se eum nolens negansque adsciscere adsciscat ipse. Nam quid aliud sibi volunt, quae p. 14 disputavit? Monueram equidem l. c. p. 14 Periphanem revera v. 495

Mercatus te hodie est de lenone Apoecides?

interrogare. Quod quidem intellexit et probavit ille l. c. „eventus enim doli, quo Apoecides et leno, ut de una puella et emptione usque cogitent, decipiendi sunt, in tempore iam consumpto celando penitus positus est, de minis vero nihil cavendum.“ Itane vero? Immo pluris fere mihi videtur esse lenonem de numero minarum quam de die cum servo consentire. Accedit, ut servus domino reddidisse rationem putandus sit, cum senex militi quinquaginta minis se fidicinam emisse dicat. cf. v. 467. Id vero me non intellegere fateor, quomodo, qui alterum mihi concedat, is de altero pergit certare. Neque revera lenonem postea interpellari Schredingerius dicit, sed ipse addit hoc servum non potuisse praesagire. „Videat modo, quae sibi praemunienda sint, ceteroquin fortunae sua fata committat“. Recte ille quidem, sed id ipsum est, quod statueram ipse et postulaveram. Neque enim de eventu consilii quidquam dixi, sed de ipsis personarum consiliis. Quae res non solum in servum quadrat et mecum contra adversarium facit, sed etiam de fidicina conducticia idem valere et tunc volui et repeto hodie. Is enim tertius est locus, qui maiores mihi iniecerat scrupulum. Neque vero concedo ullo modo a me „inique vv. 314—318 dissectos esse“ cf. Schredinger p. 16. Scilicet hic revera Periphanem tale quid Epidico mandavisse credit. Sed iam l. c. probaveram eiusmodi imperium tota fabula non habere locum, praesertim cum de reditu filii nihildum ante Epidici nuntium senex compererit. Atque prorsus eodem modo „dissecti“ loci, ut illius utar verbis, sed non magis „inique“ dissecti exemplum liceat mihi afferre ex Persa desumptum v. 262:

Nam hoc argentum iam alibi abutar: boves quos emerem non erant.

Prior pars simplicia Sagaristionis verba ad spectatores (sive potius ad se ipsum) continet, altera vero fictam excusationem, qua coram hero utatur.

Si ille praeterea Apoecidem dolo Epidici amoveri dicit, erravit, nam sua ipse stultitia retinetur, quod quidem Epidicus nullo modo potuerat divinare.

Fidicinam vero concedit Schredingerius a servo sociam fraudis assumptam esse, sed ipsam eam fraudulentum servum deserere. Quod quam verum vel verisimile sit, videat ipse. Nam si, quod priore loco ponit p. 18, edoctam eam esse de rebus, de nominibus celatam putat,

mirum sibi finxit homo doctus Epidici consilium. Neque enim is apogum quendam fidicinae narravit, et haec ipso Apoecide stultior erat, nisi de eo sene ad quem ducebatur sermonem esse et Acropolistidis amico Epidicum consulere intellexit. Sin (p. 19) „propriis suis nominibus illos significatos“ facit, et fidicinam conducticiam Acropolistidis miseritam consilio omnia enarrantem; unde comperit homo doctus de amicitia fidicinarum, unde tandem illa ipsa de Stratippoclis novo amore audivit? Nam de hoc quoque cur ab Epidico sit docta, nihil video. Et quaero ex Schredingerio, quomodo fieri potuerit „ut spectantes quamvis non plane moniti tenorem rerum satis perspexerint, si quidem histrio fidicinae personam in servum dolosae aut saltem cautae cum arte tuebatur“?

Tale quidquam ne Geppertus quidem umquam de arte scenica sibi finxit. Ipse Schredingerius deinceps nos a p. 20 ad p. 45 sqq. reicit, ubi pluribus locis meas refellere conatur sententias. Sed non neglexi Chaeribulum sine dubio a Stratippocle ipso de genere amicarum esse edoctum, sed id quidem unde Stratippocles ipse hauserit, me non intellegere concedo. Nam quae Schredingerius affert ea fieri potuisse non equidem nego, sed mea sententia tale aliquid nobis quoque a poeta erat indicandum. Qua vero de causa ipsam Telestidem „spuria originis“ puduisse putemus, non intellego, cum certe alio loco nullo Plautum eiusmodi pudorem adhibere videam. Quae deinde ille ad priorem suam de conductione fidicinae expositionem hoc loco addit, nihili sunt, nam sive dixit poeta de adolescentis erga captivam amore, sive tacuit, certe amari eam ab illo negare nemo potest. Quid igitur nostra refert, utrum huius amoris mentio facta sit, necne? V. 457 autem non reprehenderam militem resciscere, ubi Acropolitis versetur, quod Schredingerius ita refellere conatur: „Periphanes filiam eam putat, licet igitur ille (sc. miles) emenda puerilae causa senem adeat, periculum non est, ne venustrata filio praesto non sit.“ At est timendum, ne fraus servi per militem patefiat, si senex se filii amicam pro filia emisse ex militis verbis suspicatur. Quod ut detrectaret, servo et apud lenonem et coram domino summa opus erat cautione. Ut supra hoc quoque loco Schredingerium moneo me non de eventu, sed de consilio dicere. Neque meum est demonstrare, quomodo possit fieri, ut fraudes servi patefiant, sed id offenderam atque ex contaminatione ortum esse arbitrabar, quod Epidicus dupli argumento non satis caute prospexisset.

Iam ad p. 27 transeamus, ubi egregie Schredingerius Goetzii scrupulum de vv. 153 sqq. refellere sibi videtur. Qui cum offendisset in ea re, quod Periphanis fidicinam tum possidentis ratio non haberetur, Schredingerius v. 155 usus:

Continuo te orabit ultro, ut illam tramittas sibi.

scribit: „Non orabit miles adolescentem, ut hic puerilam sibi vendit, sed trahit (überlässt, abtrete, seinen Ansprüchen auf sie entsage). Quid ad hoc patris arbitrio opus est?“ Attamen altero loco, ubi miles ipsum Periphanem adit, eodem verbo trahendi utitur. Cf. v. 463

Mi illam tramittas, argentum accipias, adest.

Hoc versu totae hae argutiae una cum annotatione 28 prorsus supervacaneae atque inutiles evadunt.

Sub finem addo p. 28 l. 12 errorem numeri (Trinummus 1096 pro 1046) ex Bursiani annalibus a Schredingerio diligenter esse receptum atque servatum.

Sed iam observationes Munnerstadienses missas faciam et temporis et spatii mihi hodie concessi angustiis coactus pauca tantum nova additurus. Offendo autem nunc atque novum contaminationis indicium in hac re invenisse mihi videor, quod Periphanem redemptam filiam quam putat esse prorsus neglegere videmus. Redemit sane, sed cum ea quidquam eum collocutum esse vix ipsi Plauto credemus. Quid, nonne summo cum gaudio patrem eam amplecti, osculari, omnia quae ei acciderint exquirere, de matre Thebis relicta interrogare putabimus? Haec omnia paene necessaria esse nobis fingemus. Et re vera vv. 583, 588 nonnulla ad hanc rem pertinent, sed alio loco nullo respiciuntur, ne tum quidem, cum Philippa, quibus signis filiam recognoverit, interrogat, quidquam respondet senex nisi verba Epidici v. 597. Qui quidem versus quod cum duobus qui sequuntur in Ambrosiano non exstat, non tamen ei cum Goetzio in dubium a me vocantur. Nam inter v. 596 et 600 certe lacuna exsistit, cum inter se non cohaereant. Itaque non interpolatori hos versus tribuo, sed in A excidisse eos puto. Atqui certissimum signum erat praeter Epidici verba ipsa fidicina Periphanem patrem appellans, osculans, accuratius de captivitate et rebus Thebanis enarrans. Neque ullo verbo mendacia illi exprobrat senex, sed tantum patrem se vocare eam vetat. Accedit ut Epidicus Stratippoclem clarius non solum de consiliis patris, sed ne de emptione quidem Acropolistidis et nova eius habitatione certiore facere conetur. Etiam ultimas scenas nimis breviter esse tractatas sive ab retractatore sive ab contaminatore credo. Nam senem denuo solis Epidici et virginis verbis fidem habere non est veri simile. Atque adest ipsa Philippa, certissima certo filiae testis. Iam finem huic commentatiunculae imponens unum etiam interrogo, quamnam ad rem Periphanes Apoecidem simulata emptione perfecta tam celeriter ad se redire inbeat. Cf. v. 424.

Per. Revortere ad me extemplo. Apoec. Continuo hic ero.

Haec quoque alium rerum statum ex altera fabula Graeca receptum, sed non satis caute cum alterius coniunctum spectare arbitror. Neque vero eiusmodi offendiones retractationi tribui possunt.

Denique prior Epidici dolus, qui nimis apte cum eis quae postea revera fiunt convenit, parum caute adiunctus est. Fortasse in altera fabula Graeca haec pars melius instructa erat. Ut nunc est, omnia fere quae ante primam fabulae scenam aut sunt facta aut esse facta certe putanda sunt, cum eo fabulae statu quem nunc habemus non satis consentiunt. Quae ne melius instruerentur componerentur, contaminatione neglegentiore impeditum esse mihi quidem persuasum est. Quamquam in eiusmodi offenditionibus nonnulla certe comicae levitati condonanda esse minime nego, cuius rei etiam in simplicissimis fabulis, ut in Captivis, Mercatore, Persa gravissima invenimus exempla. Sed de hac re alio loco me postea uberior expositurum esse spero.